



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna I. De Prævisione & acceptatione omnium laborum & ærumnarum,
quas erat subiturus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)



ÆRVMNÆ DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
 QVAS PERPESSUS EST A SUI CONCE-
 PTIONE USQVE AD MORTEM.

ÆRVMNA I.

De Prævisione, & acceptatione omnium la-
 borum & Ærûmnarum, quas erat subiturus.

I.

Dominus noster humanam naturam, peni- *Christus Re-*
 tûs destructam, ac vastatam peccato primi paren- *demptor, &*
 tis Adami, reparavit mediis ita propriis, & ac- *Magister.*
 commodatis ad plagas, ut jure dici possit rede-
 misse perfectissimè: quia non tantum nascimur,
 ac vivimus in peccatis, obnoxii pœnis, quas me-
 remur per illa; sed insuper etiam peccato facta est tanta perturba-
 tio, & inclinatio naturæ nostræ ad malum, ut non minùs indige-
 remus eo, qui plenè restitueret ordinem turpissimè confusum;
 quàm qui cumulatè nos redimeret, satisfaciendo pro peccatis. Et
 hæc fuit causa, cur Filius DEI, quando pro infinita Bonitate sua
 voluit redimere mundum, in omnibus suis operibus non tantum
 sit meritis nobis remedia omnium nostrorum malorum, sed etiam
 reliquerit in iis exemplum, ac formam omnium virtutum, quibus
 possemus reformare vitam nostram, & mores. Ideo docet Apo-
 stolus, sicut in peccatis, in quibus nascimur ac vivimus, portavi-
 mus imaginem Adami terreni; ita curandum esse nobis, ut refor-
 matione vitæ nostræ referamus imaginem Adami cælestis, Christi
 Domini nostri, posteaquam per gratiam, quæ data est nobis, ba-
 ptismo ipsi fuimus incorporati & insiti; sicut etiam alibi monet,
 ut induamus Dominum nostrum JESUM Christum, vivendo
 tanquam redempti sanguine, & eruditi exemplo ipsius.

A

II. Ag-

Capit opus
suum, in
Concep-
tione sua mo-
mento.

II. Aggressus est autem noster Divinus Magister ac Redemptor hoc geminum opus eodem ordine, quo perieramus, ac virtutibus planè contrariis. Nam elegit primùm, loco Evæ, sociam operæ, & adiutorium sibi aptissimum, Virginem **MARIAM**, sacratissimam Dominam nostram, corpore & anima purissimam, sanctissimam moribus, obedientissimam Deo, instrumentum omnium bonorum; sicut Eva fuit malorum omnium. Deinde Adam peccavit paulò posteaquam conditus erat in magna perfectione naturæ, cum abundantibus donis gratiæ, quibus conservaret seipsum in felici illo statu paradisi terreni. Et Filius **DEI** sacratissimum suum corpus cum anima formavit, & univit suæ Divinitati in uno momento, non exspectando consuetos terminos generationis humanæ: atque hoc ideo, quia non sustinuit, vel unum temporis punctum sibi abire, quin mox Redemptionis nostræ initium faceret.

III. Præterea ut inobedientia fuit primum Peccatum, & origo omnium nostrorum malorum; sic & Obedientia purissima & perfectissima fuit primum opus **IESU** nostri Reparatoris. Initium nostræ ruinæ fuit inordinata cupiditas, ac delectatio fructibus prohibiti, contra voluntatem **DEI**; initium remedii nostri, sumptum est ab immenso dolore ac desiderio, quo Redemptor noster pati voluit in sua natura humana, ex obedientia debita Patri **Æterno**; ita, ut in descensu Filii **DEI** de cælo in terram, & assumptione nostræ naturæ, primo statim puncto temporis & Conceptionis, quo jam poterat meritò adorari, ut verus **DEUS** & Homo, cœperit primum suum laborem, ac primum remedium, nec ad horam differendo: quia noluit ullam horam, aut momentum vitæ suæ abire, quod non verè dici posset nostrum, nobis impensum, ac plenum infinitis bonis pro peccatoribus, quos redempturus advenerat. Atque ita primo instanti vitæ suæ repræsentavit ei Pater æternus ærumnas, supplicia, dolores, derelictiones, afflictiones, tormenta, mortem, & omnia, quæ volebat eum pati pro peccatoribus: & istud quidem ad vivum, distinctè, cum omnibus adjunctis, pondere, numero, & mensura, quasi jam subiret ea reipsa: & quemadmodum Christus **D. N.** plenus erat omni sapientia & gratia, quem nihil posset latere, intuens ea omnia, quasi jam reipsa pateretur.

et retur, sponte, alacriter & generosè totam suam humanam naturam submitit huic imperio; & omnia, quæ Pater Æternus ei mandabat usque ad mortem, acceptavit voluntate tam promptâ & cupidâ, ac si forent totidem ornamenta, favores ac voluptates immensæ.

IV. Sicut ergo in decursu vitæ suæ ac Passionis nihil egit Filius DEI, quo non exactissimè ac minutissimè exequeretur hanc obedientiam, cum multis doloribus & ærumnis; ita in ejus acceptatione statim ab initio non fuit contentus, offerre se ad omnia perpetienda, quæ præcipiebantur; sed cogitare debemus, quòd particulatim obtulerit caput spinis, oculos lachrimis, genas alapis, faciem injuriis, os felli & aceto, corpus plagis; cum omnibus nervis & membris, vita, honore, & quidquid erat in ipso aptum ad patiendum, quod vellet Pater Æternus, ac necessarium esset pro nostro remedio. Gravis omnino fuit afflictio hæc, & agonia, in qua natura tam tenera tunc erat: quia sicut DEUS D. N. noluit cum ipsa dispensare vel in minimo, quod poterat ei creare dolorem, & nostra imbecillitas abundè sentit eos dolores, quos experta jam est, quando cogitur eas tolerare de novo: ita dubitari non potest, hac repræsentatione allatum esse huic sacræ naturæ dolorem immensum: quia quod experientiæ similium malorum deerat, hoc supplebat sapientia, quâ manifesta erant ei omnia ac singula, & ut magis ea sentiret. Et quamvis sub finem vitæ in horto hic sensus foris magis patèret, non tamen minor fuit initio statim in primo instanti.

V. Hæc Obedientia Verbi Incarnati fuit conjuncta cum humillima subjectione, ardentissimo amore, dolore & merito infinito, DEOQUE tam grata, ut sufficientissimè sit merita Redemptionem generis humani, ac potuerit Pater Æternus mox revocare sententiam & mandatum, quod Filio dederat, eundemque in cælum assumere: sufficiebat enim meritum ejus obedientiæ ad condonanda peccata omnium hominum, alligandum diabolum, & mundum replendum thesauris gratiæ, apertâ omnibus portâ vitæ æternæ, & quidquid ultra pro meritis Filii datum est. Cùm enim esset Persona Divina & infinita, operaque ejus essent ei paria, qualibet ejus actio tanti meriti fuit, ut satis esset ad redimenda centum millia

Isa. 3. 3. mundorum, & amplius. Prædixit hoc Isaias: *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: Festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci:* hoc est, potentia Diaboli & peccati, cui totus mundus erat subiectus. Prædixit hoc Propheta, cum prævideret, nec ad horam ab eo dilatatum iri nostrum remedium, sed tam avidum futurum exequendi mandata, ut primo statim momento, quo esset homo, promeriturus esset obedientiâ suâ cumulativè, quidquid ei Divina Misericordia largiri decreverat; non modò prius, quàm loqui posset; sed etiam prius, quàm nasceretur. Talis ergo fuit amor, qui traxit eum in terram, ut, cum una actio sufficeret nostræ saluti, non tamen suffecerit immenso ejus amori; nisi accederent alia cuncta, quæ postea fecit ac pertulit. Talis est Redemptor, talis Dominus, talis est amicus, quem habemus.

Prima doctrina Christi, obedire ac servare Deo. VI. Quam ergo meliorem lectionem quæremus, ad reformandam vitam nostram perversam, quàm fecerit noster Divinus Magister statim ab initio? Principium omnis mali fuit, recedere ab obedientia DEI, dicit Scriptura: & nunc videmus, quòd hic Dominus in obedientia fundaverit omnia bona, quæ nobis promeruit. Vult ergo, ut nos quoque suo exemplo in ea fundemus omnia, quæ expectamus à manu DEI. Et sicut ipse nec unum vitæ suæ momentum transegit sine hac obedientia; sic nos debemus habere pro perdita omnem horam, quam non expendimus in ejus obsequio. Videamus ergo, quot horas nobis adimat somnus, cibus, otium, & quod pejus est, opera mala, brutæ oblectationes carnis, & alia, quibus DEUM amittimus: quàm tardè ac seigniter ipsum quæramus: quàm promptè recedamus ab ejus servitiis: quàm negligenter curemus nostram salutem, quæ suæ Divinæ Majestati cordi sic fuit. Si tepiditatem, quam totâ vitâ nostrâ exhibemus in amore hujus Domini, causas item & excusationes, cur non amemus ipsum toto corde, componamus cum ipsius anxietate, & flagranti desiderio patiendi pro nobis; non minorem causam inveniemus erubescendi coram sua Divina Majestate, quàm gratias agendi pro meritis.

VII. Magna miraque scribuntur de virtute Obedientiæ, & subjectione sub voluntatem DEI. Ego illis unum hoc addam, quòd

quòd Christus nos docuerit modum, quo nos voluit obedire, cum docuit nos orare: *Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra.* In *Matt. 6. 10.* celo non tantum volunt ac faciunt omnes, quidquid vult DEUS; sed ne possunt quidem intelligere aliquid ab eo diversum. Ita debemus non esse contenti obedientiâ & conformatione voluntatis nostræ cum divina, sed procurare etiam veram obedientiam intellectu. Inveniuntur in mundo, apud majorem partem hominum, tot rationes receptæ, approbatæ & consecratæ titulo honoris, necessitatis, obligationis, quæ pugnant cum lege DEI, & doctrina Evangelii; & quotidie malitia nostra invenit tot causas non obediendi, sub specie Divinæ Gloriæ & obsequii; ut, qui non valde sibi attendit, facillimè decipiatur ab illis. Rogemus ergo DEUM cum Davide, ut avertat oculos nostros, ne aspiciant vanitatem, pro veritate; sed illuminet nos, ut cognoscere possimus ejus divinam voluntatem; neque sinat nos aliud spectare, vel æstimare, quàm perfectionem sui exempli atque doctrinæ. Nam qui conjecerit oculos in speculum omnis Bonitatis, Christum, Magistrum ac Dominum nostrum, cum desiderio imitandi, quod in eo, & ab eo viderit approbatum, submitiendo illi suum intellectum, hic liber erit à multis erroribus.

*A qua deflectimus sub
vano prae-
textu,
etiam gloria Dei.*

EXERCITIUM

Circa primam Christi *Ærumnam.*

I.

O Fili DEI vivi, ô vita miseriarum mearum mortalium: ac vere Salvator ac Redemptor meus: ô unica salus meorum malorum! venisti cum tanto desiderio animarum perditarum; cum tanta cupiditate ostendendi, quantum diligas peccatores, & cupias satisfacere pro illis; cum tanta siti tormentorum, & Crucis, ut nolueris amittere vel unum punctum temporis, quin paterere pro nobis: quin si fieri potuisset, vel convenisset, ut nascereris in Cruce, certò venisses in mundum clavis affixus in Crucem, in eadèmq; mansisses usque ad mortem. Ea est amoris tui perfectio, ea veritas

A 3

hujus

*Amor an-
ticipavit
sua tor-
menta.*

hujus inflammati pectoris, & hujus sincerissimæ amicitiae, quam erga nos geris. Sed cum id fieri non posset, noluisti abire ullum momentum vitæ, sine pœna, cruce, tormento: ac donec tempus veniret lignæ crucis, noluisti interim esse sine durissimis aliis crucibus afflictionum, dolorum & ærumnarum. Non pepercisti tuæ humanitati, etiam in tenuissimo ac tenerimo corpusculo, recens formatum intra purissima viscera Virginis. O quomodo te totum inflammas in opere puri, fortis, ac divini amoris, ad quod totus ardens accedis! sicuti non pro nimis parvo reputasti corpusculum, quò minùs ei mox infunderes animam beatam, ac divinitatem unires; ita etiam id judicasti satis magnum ad patiendum, faciens, ut sentiret mox simul omnia, quæ deinceps ei toleranda fuerunt. Ostendisti illi statim lacrimas, dolores, famem, asperitates, inopiam, fatigationes, sudores, injurias, contemptus, funes, quibus erat ligandum; verbera, quibus excipiendum; spinas, quibus confodiendum; crucem & clavos, quibus affigendum; fel & acetum, quibus potandum; gravissimam derelictionem, in qua destituendum; immensos ac terribiles dolores, quibus obruendum; ac mortem crudelem, quâ conficiendum. Hæc omnia voluisti, ut in primo statim momento, quo condita est humanitas tua, tota simul videret ac sentiret, & singula sua membra, quantumvis tenuia, iisdem subiceret: non contentus, cum DEUS esses, accipere nostram carnem; quin etiam statim inciperes in eadem pati, & submitteres te Patri æterno usque ad mortem.

*Et à primo
momento
semper
omnia sen-
sit.*

II. Si post trigessimum tertium annum ætatis, sacratissima tua Humanitas, è sola prævisione earundem rerum sibi imminentium in tanta fuit angustia, tanta afflictione, ac tristitia, ut lethales pateretur affectiones, sanguineoque sudore manaret; quid eam pertulisse credendum est sub ipsum ingressum in mundum, ex prævisione tam clara, certa, vivaque, ac si re ipsa experta jam esset labores, & navigasset alta maria eorum, quæ ipsi perpetienda erant in decursu vitæ totius? Intelligo, Domine animæ meæ, nullam ex ærumnis tuis majorem istâ fuisse: quando ad sentiendum eas conditione humanâ es usus, & ad intelligendos asperitatû gradus ac pondus, quo tibi erant incubituræ, luce ac vi plus quam huma-

humanâ. Omnes tibi simul offerebantur, & tu simul omnes acceptâsti, simul sensisti: quia tuus amor non ferebat, ut ulla in re parceres naturæ tuæ humanæ, quâ multum posset affligi, quæque tibi magno constaret. O Amor Divine, qui otari non potes, quas artes excogitâsti, quas vias invenisti, quibus te demonstrares? Non est locus, tempus, aut ætas ulla, quæ tibi ad exhibenda opera tua non serviat: sed cum ætas, aut locus impediunt cruciatus externos, tu reperis cruces internas, quibus semper conflagres, promasque tuos thesauros; & tuam vehementiam, vim, sinceritatem ostendas eis, quos amas, & cupis ad te pertrahere.

III. O me miserum, & inveteratum in peccatis! cum video ^{Et nos ab} hunc ardorem patiendi pro me, tam flagrans desiderium me ^{initio sta-} nandi, quod contineri non potest in hac, quæ ita nondum vocari ^{tim sord-} potest, ætate, in hoc exiguo corpusculo, quod ægrè sufficit ad ^{mis pecca-} figuram hominis, & in hoc primo tuo ingressu in mundum; quid ^{tis.} dicam? quomodo non erubescō coram te comparere? quia in qualibet mea ætate me video ita oblitum peccatis & malis, ut videatur nulla pars mei corporis esse tam parva, quin sit imbuta magnis, & inveteratis peccatis; sicut in te nulla tam exigua fuit, quin esset in magnis doloribus. In utero matris meæ, cum nihil adhuc possem, per originale peccatum, quod erat in anima, jam assimilabar antiquo Adamo. Natus, dum non habui usum rationis, etsi peccare non possem, jam tamen habui inclinationes ad iram, cupidias, mendacia, inobedientiam, & alia id genus, quæ satis ostenderent in exigua terra tantilli corpusculi profundas radices veterum truncorum, & venenosos ramos arboris malæ. At ubi ad usum rationis perveni, cum jam fructus proferre deberem, unde cognosceretur, qualis arbor essem futurus, O piissime Deus, quàm abominabiles fructus malorum & peccatorum effudi, & effundo etiamnum, heu nimis, quàm copiosè! O misericordia infinita! quæ me hucusque tolerâsti, noli me confundere: condona mihi hanc furiam, quæ permisi habenas effrenibus meis appetitibus; & impudentiam, quæ dempsi frenum malis inclinationibus, ab illa usque ætate me infestantibus. O quàm solutæ fuerunt ad omnem ^{vanitatem, ad omne genus fallaciarum, præsumptionum, cogitationum}

tionum malarum, ac desideriorum; ad omnem vilitatem ac turpitudinem, quæ foris intusque regnabat in anima! Tam immemori, tam durus ad tua consilia, tam cæcus ad tuam doctrinam, tam surdus ad tuam vocationem, tam refractarius tuæ legi, tam studiosus mundi, tam pertæsus rerum animæ meæ, tam affixus mihi ipsi & remotus à te, tam plenus amoris proprii, tam inanis amoris tui. Omne tempus breve ducebam ad voluptates, mundum exiguum ad cupiditates, magnum verò ad serviendum ipsi, ac te pro ipso perdendum. Floccipendebam, quidquid tibi placet; displicebat verò, quidquid magni tu facis. Nulla mihi ætas nimis parva visa est ad peccandum, omnis autem nimis infirma ad tibi serviendum: mala, quæ per ætatem aut vires non potui, voluntate patravi, semper magnus ad peccandum, semper annosus ad malos mores, semper ingratus pro tantis favoribus, semper tardus, tepidus, impudens, obliviosus, piger, debilis, superbus, contumax ad amorem, & obsequium, ut tibi me totum addicerem, omniâque facerem ad placitum tuum.

*Eademque
totâ vitâ
continua-
mus.*

IV. Tu DEUS meus, tanquam verus amicus animæ meæ, & tanquam is, qui compatiebatur plagis illius, non voluisti expectare dies illos, quibus corpora formari solent in utero; sed mox primo puncto temporis, quo venisti in mundum, formasti corpus animatum & perfectum, plenum divinâ majestate; ut hoc tempus, quod natura requirebat ad suum opus, tu impenderes operi amoris & gratiæ, & acerbissimorum dolorum pro me: & amor tuus in meum bonum prævertit tempus, quod natura deposcit. Et ego, Bonitas infinita, nec posteaquam tandem perveneram ad usum rationis, te cognovi; nec, posteaquam diu vixeram, plenus tuis beneficiis, te inquisivi, nec tibi servivi, neque curavi te amare: sed frigidâ, mortuâ fide contentus, vixi cum hac anima tam referata peccatis & malis, ut nihil inveniatur in me præter miserias, pro quibus tu jam pateris. O Amor infinite, ignosce mihi: bene me videbas, quando exercebas tantum amorem: bene me nôras, quando acceptabas eos dolores: & quia sciebas me talem futurum, nolui perdi perdere nec horam, nec punctum temporis, quo mihi non parares remedia. Convertite me, Domine, ut incipiam vel tandem
amare,

amare, & sequi te: fac, ut pœniteat me vitæ malè transactæ, & muta me totum in te, & in tua obsequia.

V. O qui nunquam te offendisset! O qui totum tempus ex-^{O quanta}pendisset in tuo amore ac servitio! Si ô D E U S meus, primâ sta-^{patientia}tim horâ, quâ toto corde revertor ad te, sentio me inflamma-^{Dei!}tum, immutatum, ac totum diversum ab eo, qui fueram; qualis tunc essem? quàm perfectus minister tuus, quàm plenus tuo amore? quomodo transformatus essem in spiritum tuum, si omne tempus vitæ meæ transegissem in tuo obsequio? O patientia infinita, quâ me exspectâsti! O Bonitas infinita, quâ me tolerâsti hucusque! O Amor, qui vocas me ad te, transforma me totum in te. Ab hac hora, usque ad ultimam vitæ meæ, tibi me offero, ut tecum totam consumam. Doleo, DEUS meus, quod unquam te offenderim. En habes me, sume de me satisfactionem, quam voles. Amor, qui tam inflammatus & cupidus fuit patiendi pro me, idem nunc aperiat in hoc meo corde fontem lacrimarum, quibus toto reliquo tempore vitæ meæ malefacta deplem, & sic omnes horas tecum consumam. Hoc est illius amoris officium: quod ego meis peccatis commerui, tu, Domine, cum ipso transige; & quod ipse pro me postulaverit, hoc tu mihi reliquo tempore miserabilis vitæ meæ concede.

VI. Sed nunc, Domine, miseras meas dimitto tibi, qui unicum es earum remedium; ut tantò meliùs perspicere, gratòque animò expendere possim primas istas, & infinitas miserationes, quibus usus es mecum primo tuo ingressu. Nónne par erat, ut primas horas, ac dies tui adventûs in mundum, consumeres cum purissima illa anima sacratissimæ Virginis Matris, quam invenisti plenam gratiâ, amore ac puritate, quâ tibi tantopere placuit, ut filius ejus fieri velles? vis D E U S meus, ut ego quoque statim ibi habeam locum? statim recordaris miseriarum mearum & necessitatum ut tractes de illarum remedio? O divine Pastor, & amator hujus oviculæ perditæ, qui venis quærere, non justos, quales tota natura humana non habuit, sed peccatores: neque tamen ideo neglexisti animam sacratissimæ Virginis; quia liberalitas & bonitas tua sufficiens erat, ut etiam ipsa de fructibus miserationum

B

illarum

illarum participaret. Sed tu, qui amor, ac divinus amor es, non es particularis aut proprius uni, sed totum te omnibus largiris, ac totum unicuique. Tam ibi me presentem habebas amoris tuo, tam bene me cognoscebas, quam presentem habebas animam D. Virginis, cui unitus eras amore. O divine Domine, quantum tibi debeo! quid poterit esse in me, quod non accendatur igne hoc divini amoris, cum ista video, & credo? O cupiditatem, o duritiam meam! destrue illam, Domine, igne divini amoris; quia quidquid in me boni est, est ex eo, quod mihi ostendis. Posteaquam acceptasti pati pro me omnia, quae tibi Pater representavit sub initium tui adventus in mundum, tu statim isto amore, ista humili obedientia, ista perfecta resignatione in voluntatem aeternam, isto dolore, quem ibi patiebatur tua Humanitas, meritis es abunde veniam peccatorum meorum, lucem tenebrarum mearum, remissionem aeterni supplicii, mutationem temporalium in merita gratiae & gloriae; fidem, spem, charitatem, quam mihi dedisti, gloriam, quam promisisti; victoriam inimicorum meorum, perfectam redemptionem ab omni malo & servitute animae: statim cumulasti me bonis, statim perfecisti opus, ad quod veneras; adeo, ut si nihil amplius mea causa fecisses, sufficientissime forem adjutus. Cur igitur, amor divine, quod satis mihi erat, amoris tuo non sufficit! O DEUS amoris! qui te non amat, hic te non intelligit, neque scit tuas actiones bene considerare.

VII. Quod delectat & placet, nunquam parit fastidium, sed desideratur, & juvat continuare: quia ergo te valde delectat, tamque sapida tibi est ea, quam nunc facis, copiosa & abundans tui ac bonorum tuorum communicatio; ideo non vis redire statim in caelum, contentus eo, quod primam horam fecisti, sed illius continuatione ultra triginta tres annos te oblectas ac fatias. O amor, o amor, o ingens amor! taceant lingua & intellectus: sic te per totam hanc animam te ipsum extende, ut non sit tam frigida & dura, quae supernas tuas operationes impediat. Accende me, dilata me, corrobora me, ut efflictim te amem, donec amore tuo conflagrem, ac sciam servire; neque enim conveniet, me tam parvum facere pro tanto amore, tam cupido meae salutis. Quid dicam,

*Quis enim
non amat?*

cām, & amōr dīvine? confundor miserīā. Ideo hac hora tibi do, quidquid possum, ut facias mecum id, quod facis te ipso. Ego tibi consigno meam vitam, animam, vires, facultates, & omnia mea. Dispone de omnibus, & de me, sicut voles; nec permittes, ut aliud velim posthac. Volo te solum, & me tantum propter te. Da mihi habere famem tui, sicut tu habes mei; ut semper te amem, ac desiderem semper amare.

Quis non totum se consecrat?

O Mater DEI, Virgo purissima, ac thesauraria misericordiarum istarum; ama pro me hunc Dominum, qui in te mihi tanta bona largitur. Et quia tu melius omnibus cognoscis gravitatem obligationum mearum, impetra mihi veniam præteritorum, & fac me servum hujus Domini nunc, & toto vitæ meæ tempore. O Curia cælestis, quæ fructus es hujus novæ plantæ, DEI incarnati, & ardentis amore hominum; lauda eum, & ama illum pro me: & eā flammā, quā vos semper ardetis, me quoque succende in perpetuum. Amen.

ÆRUMNA II.

De Angustia, & Miseria loci, in quo novem mensibus fuit.

I.

Illius DEI tam accuratus, ac solers fuit in inveniendo mediis patiendi, ut ob hoc ipsum obligati simus ad singulas actionum ejus partes memoriā tenendas, ut possimus eas dignè æstimare, & grati esse pro illis. Atque ita ingens amor ejus excogitavit novum genus molestiæ, quod solus ipse potuit perpeti; videlicet angustias & miseria loci, in quo novem integris mensibus fuit. Noluit sibi Dominus noster ulla re levare suas ærumnas, noluit quoque ullā carere, quæ illas auget. Etenim à Divinitate sibi conjuncta nihil refocillationis accepit Humanitas: nam licet anima ejus propter illam unionem DEUM videret, ac beata jam esset, deberetque etiam beatitudinem suam communicare cum corpore; tamen, ut pati posset, ingenti miraculo felicitatem illam suspendit, ne

Christus amore patiendi suscepit molestias uteris maternis.

B z

quid-